

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XLI.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente,

CHRISTIANO Kretzschmann

Chemnicensi Misnico.

Dominica X. post Trinitatis.

A. O. R. clb. Idc. III.



HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris Oel-

schlegelij

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disputatio XII

PRÆFATIO

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasi Hallensis

Rectore


Respondens

CHRISTIANO GUEINZIO

Chemnicensi M.D.C.

Domnica X. post Trinitatem

M. D. C. C. III.



HALLIS SAXONUM

Petelo Heredum Melchioris Oel-

schlegelii



ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA X. POST TRI-
NITATIS.*Luc. 19. à vers. 41. usq. ad fin.*

PRÆFAMEN.



Memorabilis est sententia Si-
racidis c. 18, 12. & 13. dum in-
quit: *Miseratio hominis confer-*
tur in proximum; at Dei miseri-
cordia omnes complectitur mortales; quos ca-
stigar, docet, atq. pastoris instar gregem suum
reducit. Testimonium utriusq. ostenditur;
miseriordia, dum amat; justitie, dum casti-
gat. Siquidem Jehovah non tantum est miseri-
sors & patiens; sed & justus ac irascens. Illu-
stre utriusq. documentum in Evangelio.

X

THE

T H E S I S I.

In quo habetur partim pœna exitialis, ubi recensetur Christi appropinquantis lacrymatio v. 41. In quo præmittitur eius temporis & loci circumstantia: Cùm appropinquavit. Descendebat enim Christus ex monte Oliveti inter faustas ac letas populi acclamations, quibus Rex salutabatur. Id quod factum est die Palmarum, quâ Dominus asina vectus. Atq; ita non solum appropinquavit corporali gressu, sed & compassionis affectu.

2. Et causa impulsiva: videns civitatem. Ubi per Synecdochen intelligitur Hierosolyma. Intuebatur autem eam non tantum oculis corporis; sed & oculis Divinitatis. Videbatur quidem pulcherrima, sicut discipuli admirabundi paulo post Christo structuram templi ostendunt, dicentes: Magister, aspice quales lapides, quavis structura! Matth. 24, 1. Marc. 13, 2. Templi enim tectum erat aureum, & ob Solis lucem magnum splendorem emittebat: sed Christus interiora intuebatur, & videbat sentinam omnium flagitiorum, uti Egesipp. lib. 7. c. 8. eam describit. Et est notabile quòd Romani eodem in loco in prima ur-

bis

bis obsessione castra ponere ceperint, in quo
Christus praedixit ac deslevit antea urbis exci-
dium, uti constat ex Joseph. lib. 6. Bell. jud.
cap. 8.

3. Et asseritur, tum effectum : flevit.
Ita Christus haecenus ostenderat se esse Regem,
jam porro demonstrat se esse Sacerdotem &
Prophetam. Et propterea ubi turba depromit
canticam, ipse assumit lamentum. Alias legi-
mus ternis vicibus flevisse, 1. in sua passione pro-
pter nostram culpam seu ingratitude, qua
in hominibus esse cernebat. 2. ploravit in La-
zari resurrectione propter miseriam, ad quam
Lazarum revocabat Joh. 11, 35. 3. Ploravit
hic nostram ignorantiam, quam tantam esse
videbat, habet Bonavent. serm. 99. de fletu
Christi. Holkot quidem lect. 88. septies fle-
visse asserit, in Nativitate, ubi primam vocem
similem omnibus plorans emisit Sap. 7, 3. in cir-
cumcisione ex dolore, quod probare conatur,
Hebr. 2, 15. propter Hierosolymam hoc in loco.
in Lazari resurrectione Joh. 11, 35. in Jude
proditione, quod colligit Joh. 13, 21. in horto
cum sanguinem sudaret Luc. 22, 44. in cruce
Hebr. 5, 7. Alij e contra plane non flevisse vo-
luerunt; sed flevit, uti scriptura asserit expres-
se tribus vicibus: ut ostenderet se esse verum ho-

minem, dum affectus à se non esse alienos restatur; non quidem ex necessitate conditionis, sed ex affectu commotus est, habet Augustin. l. 14. de civ. Dei c. 9. Sic etiam turbatus fuit & spiritu contristatus Matt. 26, 38. Joh. 13, 21. Luc. 10, 21. non invitus, sed ut spontè eas imperaret. Et quia lachrymatur in die publica letitia, etiam maximè hoc est observandum. Lachrymæ verò ejus nos itidem iubent flere, uti habet August. Tract. 49. in Joh. dum inquit: Quare verò flevit Christus, nisi quòd nos flere docuit. Sicut enim, ait Chrysostr. hom. 6. in Matt. post vehementes imbres mundus aer & purus efficitur; ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atq; tranquillitas; omnisq; illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissolvitur. Unde Christus Apoc. 3, 18. suadeo collyrio ungas oculos tuos, ut videas. Hoc collyrium sunt lachrymæ Christi: Illis enim abstergitur caligo oculorum nostrorum, cum peccata nempe nostra defleamus. Et dum flevit, serio flevit, seu viscera misericordie suae se per fletum ediderunt, uti Theophyl. inquit.

4. Et objectum: super illam. Id est per synecdochen, Hierosolymam, propter mala culpe. Neq; enim tantum de temporalibus; sed etiam

etiam de aeternis poenis ob contumaciam & incredulitatem. Nunquam enim iudeorum interitum expevit: ideo elegit eos in seculum, & concredidit ipsis eloquia Dei Rom. 3, 21, ipsis promisit Evangelium suum Rom. 1, 1. nec taliter fecit omni nationi Psal. 147, 19. Ipse Christus venit, & ad poenitentiam ipsos invitavit Matt. 4, 17. Congregare eos voluit sicut gallina pullos congregat Matth. 23, 17. Apostolos ad perditas oves misit Matth. 10, 6. post resurrectionem suam gentibus primū regnū Dei annunciari voluit Act. 13, 46. Ideoq; perditio ex ipsis est, Os. 13, 9. Neq; tamen praescientia rebus praescitis affert necessitatem, ait Hieronymus cap. 2. super Ezechielem. Sed dicat aliquis, ait Chrylost. hom. 46. operis imperfecti in Matth. cum in potestate habeat Deus perdere & salvare, quis eum invitum compellit damnare, si non vult? Tu qui non desideras misericordiam Dei. Dices: quis est homo qui nō desideret misericordiam Dei? Tu qui permanes in peccato. Nam invitus Deus compellitur cum magno dolore peccatores condemnare; non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur; sed quia volenter cogitur perdere aliquem, qui cupit omnes salvare. Sed & iste fletus ad nostram Hierusalem pertinet: Nos enim sumus

Hierusalem, inquit Orig. hom. 38. in Luc. que defletur, qui nobis videmur intuitum habere majorem. Quod si post mysteria veritatis, post sermonem Evangelij, post doctrinam Ecclesie, post visionem Sacramentorum Dei, aliquis e nobis peccaverit, plangitur atq; fletur. Nemo enim gentilis fletur, sed ille, qui fuit de Hierusalem: quod post peccata circumdant eam inimici, contraria videlicet fortitudinis, spiritus nequam, & immittant in circuitu ejus vallum & obsideant eam, &c.

5. Et futurorum malorum ignoratio: ubi miranda est eorundem enarratio. v. 42. In quo causa efficiens: dicens. *Siquidem, non tantum lachrymatus, sed una etiam vaticinatus, & attestatus causam, quare lachrymatus, verbis imò quasi fractis, quia ob singultus integra proferre non valuit.*

6. Tum forma verborum, in quibus antecedens, quod continet subjectum: Si cognovisses & tu. *Quasi diceret: minam vel tu cognosceres. Particula verò ὅτι ex idiomate Graci sermonis, & usitato Luca pleonasmò asseverandi causâ apponitur; & mimesi inservit, tanquam enarrativa & expletiva. Et verò in oratorio sensu, sine ulla defectus suspitione verba Christi*

Christi accipiuntur, ut sic sit posita εὐτικῶς, uti non insolens est apud Græcos: ceu testatur Hom. odyss. γ αὖ δ' εἰμοί. Et Lucianus in Cau- calo: εἰ δ' ἔνοιο τοῦτ' αἰ; & etiam usurpatur à 70. interpretibus Joi. 7. 7. Psalm. 8. 4. ha- betq; Syrus geminam particulam illu. ut nulla intelligatur Ellipsis; quia si pro lubitu aliquid scripturae inserere, & non sententiam inspicere velimus, nihil certi relinquetur. Unde Hiero- nymus in comment. super Esa. cap. 29, 59. & Theophyl. in cap. 10. Luc. ita exponit. Quia optat, ut cognoscerent Judæi Hierosolymitani. Ubi per Metonymiam subjecti Tu ponitur pro civibus. Nam Hierosolymam Christus per Prosopopœiam quandam alloquitur, sicuti in dicto prophetico per filiam Jerusalem incola ur- bis illius intelliguntur. Interim tamen quedam structure in bis etiam conveniunt, utpote quod hostes eam solo aequaturi sint; quedam incolis tantum quod cognoscere debeant; quedam & urbi & incolis.

7. Et terminum: & quidem in die isto- riuo: Hoc est, hoc ipso tempore, quo te Deus pa- ternè visitat, & ad pœnitentiam vocat: Quam- vis ille particula καὶ γὰρ in quibusdam codici- bus non habeantur; merito tamen retinentur,

quia in plerisque inveniuntur. Neque sunt otiosa sed utraque singularem habet emphasin, uti prior ad diem pertinet. Significat ergo vocem DEI adesse in presens tempus, quod in salutem Hierosolymæ erat destinatum: Illud itaque si absque fructu elabi sineret, prædicit fore, ut in posterum salutis ianua ipsis penitus præcludatur. Caveamus ergo ne tempus acceptabile & diem salutis negligamus.

8. Consequens, quoad obiectum: quæ ad pacem tuam. Quia Græcis usitatum est sic loqui, ut non sit necesse supplere vel per verbum sum, uti Origenes, vel per verbum pertinere, uti Euthymius. Pax autem notat non tantum statum tranquillum, & felicitatem statuum temporalem, uti Gregor. explicat hom. 39 sed & pacem spirituales de reconciliatione cum DEO, & pace cum ipso Christo, qui est pax nostra Eph. 1, 14. Et procul dubio respicit Christus ad propheticum sermonem Eia. 66, 12. pacem loquetur gentibus: ut sit sensus: utinam me pro Messia & Rege agnosceres. Hierosolyma præterea idem est quod visio pacis, verum facta erat Sodoma & Ægyptus Apoc. 11, 8. Et viam pacis ignorare dicuntur, qui ejus autorem suscipere nauerunt, ait Hieronymus. Inde Theophyl. hoc est

est si cognovisses, quæ tibi nunc conferunt, ac pacem & quietem afferunt, nempe fidem erga me, & cessationem à persequendo me. Si quidem in plurali dicuntur, quæ ad pacem: ut omnia pacis & felicitatis media & adminicula intelligantur. Ut discamus ubiq; eam quærere non bella movere.

9. Et defectum, propter ignorantiam; Nunc autem abscondita sunt ab oculis. Non quòd cognoscere non potuissent; debuissent enim & potuissent è concionibus ipsius Christi ea cognoscere, sed noluerunt scire; quemadmodum Joh. 15, 21. usurpatur, propter innatam cordis ipsorum pravitatem & malitiam; propter contemptum Christi & eius Evangelij; propter contumacem in malo perseverantiam. Non ex absoluto quodam Dei decreto, quia Propheta hæc prædixerant & eos longè antea præmonuerant Esa. 29, 1. Dan. 9, 28. & quia Deus serio vult omnes salvari 1. Tim. 4, 2. Et quia multa signa & prodigia præceserant, quæ eos merito movere debuissent. Ergo culpa residet penes ipsos juxta serm. propheticum Os. 13, 9. Unde Gregor. hom. 39. Perversa animaribus presentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia. Et qui prævidere futura refugit, quæ

presentem letitiam perturbant. Et in presentis vite oblectatione se dedit, quid aliud quam oculis clausis ad ignem vadit. Invitat ergo hac longanimitas Dei nos ad pœnitentiam, ne thesaurizemus nobis iram Domini in diem ire Rom. 2. 5. dum enim districtus iudex sustinetur, habet iterum Gregor. loco alleg. Et adhuc ira malum non erexit in percussione, dum à retributione ultionis ultima esse quadam temporis securitas videtur; Debemus pensare manum, quod sequitur, pensantes gemere, gementes vitare; ea, que commiserimus peccata indesinenter afficere; afficientes flere, flentes abstergere. Nulla nos prosperitas transitoria letitiæ dissolvat, nec mentis nostræ oculos ea, que transitoria obstruant, nec cœcos ad ignem ducant.

10. Et hostium circumvallatio v. 43. In quo tempus: Quia venient dies. Ubi per Synecdoch. speciei pro genere tempus intelligitur. Et additur particula quia; non expletiva aut assertiva tantum, sed causalis, dum redditur ratio, quare lachrymetur. Nominant verò dies in plurali numero, quia duravit obsessio aliquot menses. Opponuntur autem hi dies illi diei, de qua in precedente versu dixerat, quod abscondita ab oculis. Ideo venient alij
dies

dies, qui non amplius erunt tui, vel in quibus non amplius obringet tibi hæc felicitas, ut pacem tuam curares, Deo reconciliari & pœnam avertere posses.

11. Et modus, per effectum summam ab objecto: in te. Quia dies erunt tibi infasti & vehementer adversi. Syrus reddidit per lechi. Ut discamus, licet differatur sæpius pœna. & Deus portet longanimitate vasa ira, tandem tamen venire tempus pœnae. Id quod etiam factum est a Christi Nativitate 73. ab ascensione 40. circa festum Paschale.

12. Sigillatim, quoad minora, ubi prædicatum: Et circundabunt te. Siquidem, quatuor aggeres intra septendecim dies facti sunt principales; unus ad Antoniam, alter à priori in cubitos distans, tertius in parte adversus urbem septentrionali, quartus ad pontificis monumentum, uti habet Josephus lib. 6. Bell. jud. c. 13. Hesychius & Suidas, quomodo verò facti fuerint, patet ex Cæsaris lib. 7. Bell. Galli. qui videndus.

13. Quoad subjectum: inimici tui. Id est Tuus Vespasiani filius cum exercitu Romano. Cum enim seditionum apud Judæos nullus esset finis, & defecissent Romani sub Gessio Floro ultimo Neronis anno, Vespasianus ipse

missus

missus ad compescendos Iudeos, qui Galileam facto belli initio totam ferro & igne vastavit. Inde postea versus urbem Hierosolimam progressus est. In eius verò obsessione à militibus imperator electus Tito filio bellum conficiendū commisit, eo ipso tempore quo Christus hæc prædixerat, videlicet circa festum Paschatos, quo multa Iudeorum millia Hierosolymæ erant congregata, & eodem ordine quo Christus futura pronunciauit.

14. Et quoad majora: tūm, cingent te. Cū enim Iudei, eruptione facta, aggeres & munitiones Romanorum incenderent ac eruerent Titus novum & mirificum opus excogitans totam urbem muro inclusit, quem divino impetu, uti loquitur Ioseph. lib. 5. Bell. c. 31.) milites aggerem tridui spatio per triginta & novem stadia instruxerunt, unā cum 13. castellis, adeo ut nemo elabi posset.

15. Tūm, coangustabunt te undique. Inde enim fames secuta est intolerabilis, ut etiam proprios filios edere coacti sint: erant dissensiones interne, erat pestis, erant incendia & homicidia, quemadmodum Ioseph. de bell. Jud. Egelippus, Nicephorus, & Eusebius describunt. Ut discamus bella esse ira divina certissima testimonia: quemadmodum & Titus ipse

ipse dixit, & expansis manibus attestatus, hoc non suum opus esse. lib. 6. Bell. Jud. c. 14.

16. Et reprobatio. v. 44. In quo forma distinctim, quoad muros: Et solo aquabunt te. Ubi futurum Atticum ponitur. Idq; factum 7. Septembr., ubi urbs capta, tota exusta, diruta, eversa & quasi complanata.

17. Quoad personas: Et filios tuos, qui in te sunt. Nam cives cujuscunq; tribus hostis jugulavit, cadavera eorum in plateas abiecit, quemadmodum Joseph. lib. 7. Bell. Jud. c. 9. & seqq. describit. Et cap. 17. undeciescentum millia fuisse asserit.

18. Conjunctim: Non relinquent in te lapidem super lapidem. Nam Eusebio teste, terra aratris dissulcata, & tota à fundamentis usq; dissoluta: quamvis turres ad custodias habendas reliquerit Titus. Et licet instigante Juliano Apostata urbis instauratio sit tentata, quò judæi Christum falsi convincerent; tamen horrendis prodigiis impediti, & ab opere deterriti fuerunt, uti habet Theodor. lib. 3. c. 20. & Sozomenus lib. 5. c. 25. Niceph. lib. 10. cap. 21. Unde veritas comminationum Christi elicitur. Sic minatus fuerat Deus primo mundo diluvium, Sodomæ exitium, & eventus comprobavit. Caveamus itaq; nobis,

sunt omnes occisi, sed dispersi, inquit Bernh. epist. 322. ut sint testes nostræ redemptionis, dum iustas tanti facinoris pœnas lauant. Et Augustin, inquit in Psalm. 58, 12. Sunt Iudei, qui non sunt occisi, necessarij credentibus gentibus. Quare hoc? ut demonstrat nobis inimicis nostris misericordiam suam. In ramis superbia præcisus inserto misericordiam suam demonstrat oleastro.

19. Et causa: eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Atq; ita si nondum Servatorem rectè intellexisti, satis aperte loquitur de vera devastationis Hierosolymitanæ causa. Est autem visitatio Dei duplex: altera gratiæ, liberationis & beneficij Gen. 50, 24. Exod. 3, 16. Job. 10, 12. Luc. 1, 68. Altera ire, castigationis & supplicij Exod. 20, 5. Num. 16, 29. Et intelligitur illa potissimum, dum per triennium integrum, & quod excurret, Christus in propria persona Evangelium prædicavit, & id plurimis miraculis confirmavit. Hoc ergo tempus non agnoverunt: ideoq; ea omnia, quæ prædicta ipsis etiam evenērunt. Inde inquit Orosius: Quia Iudei impij exstiterant in Patrem & Filium, ideoq; patri Vespasiano & Tito filio merito fuerunt traditi Iudei. Notandum etiam quòd circa idem anni tempus obsi-

vobis, nam nisi pœnitentiam egerimus, peribimus similiter Luc. 17, 13. Unde inquit Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum c. 13. Cur Deus Hebræos ne à Romanis non subjugarentur non juvat? præcesserunt, inquit, manifesta peccata eorum, propter quæ illis hæc eventura Prophetæ prædixerant. Et Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 75. inquit: Si cognoscere a ves, quibusnam pœnis scelerati Iudæi, qui contra Christum insanierunt, affecti sint: in manus sume Iosephi, Iudæi quidem, ac veritatis studiosi viri historiam de excidio, ut videas divinitus actam historiam, qualem nec tota series temporum vidit, ex quo & quàm diu homines exstiterunt. Ne quisquam denegaret fidem ipsorum calamitatibus, quamvis fidem & exemplum ac consuetudinem omnem superantibus. Interim discimus ne cœnibus, nimium confidamus: nam quod hominum manu factum est, hominū etiam manu diruitur, habet Jobus cap. 4, 19. Secundo ulcisci Deus voluit sanguinem Prophetarum Act. 7, 52. Christi sanguinem Act. 3, 13. idololatriam, avaritiam, iniustitiam, luxuriam & malitiam simulq; testari Messiam venisse, Christiq; regnum non esse de hoc mundo. Non tamen
sunt

obsidio urbis inceperit, circa quod Christus
fuit occisus; & eodem die 10. Augusti à Tito
civitas fuerit expugnata, quo olim ante capti-
vitatem Babylonicam à Chaldeis devastatio
facta. Ut discamus nullum atrocius esse pec-
catum quam temp9 gratiose visitationis agno-
scere nolle. Propter hoc primus mundus dilu-
vio interiit Gen. 7, 23. Sodoma, Gomorrha pe-
riit Gen. 19, 2. Core, Dathan, Abiram absor-
pti Num. 16, 31. totus Israel captivatus 2. Reg.
25. Jer. 39, 9. Sanctuarium dissipatum Dan. 9,
26. Domus Iudeorum relicta & deserta Matt.
23, 37. Quin privatim Deus (habet Gregor.
Magnus tom. 39.) cujuslibet pravam quoq;
animam visitare solet praecepto, nunc flagello,
aliquando verò miraculo, ut ea vera, quae ne-
sciebat, audiat, & tamen adhuc superbiens atq;
contemnens: aut dolore compuncta redeat, aut
beneficiis devicta, malum, quod fecit, eru-
bescat.

20. Partim est se vera reformatio, seu
culpa principalis, cujus antecedens est tem-
pli purgatio. v. 45. In quo effecta, quoad
locum. Et ingressus in templum. Siquidem
non erat regnum eius de hoc mundo (licet ut
rex exciperetur.) Itaq; non ingreditur arcem
Antoniam, nec Herodis palatium, nec Pilati
pra-

prætorium; sed templum, ut summus Sacerdos: juxta illud Malach. 3, 1. Solebant autem Reges in populo excepti ea corrigere, quæ aliorum Principum vel incuria vel malitia depravata: sicut David regno inauguratus iudicium & iustitiam Saulis tempore neglectam restituit. Idem facit Christus rex à plebe saluatus. Et hoc proprium erat boni filij, ait Autor imperfecti operis, ut veniens ad domum patris curreret & illi honorem redderet: Ut imitator Christi factus, cum ingressus fueris civitatem primum ante omnia templum ingrediaris. Et Chrylost. inquit: Salvator noster curaturus infirmam civitatem Hierosolymam, ingressus est prius templum ut peccata sacerdotum castigaret instar boni medici, qui morbum à radice curat.

21. Quoad factum: cœpit eicere vendentes in illo & ementes. Idq; non semel, sed ter factum; primò statim post Baptismum in primo ministerij Paschate Joh. 2, 16. deinde in die Palmarum, de quo hic agitur; & tandem postri-die palmarum Marc. 11, 11. In V. T. enim ex Dei ordinatione erat templum, in quo solis Israelite solebant sua sacrificia juxta legem offerre Exod. 20, 24. Deut. 12, 13. & talis locus erat Hierosolymis, ubi templum divino man-

T

dato

dato exstructum Psalm. 122, 2. Quia verò qui-
 dam Iudaei & proselyti in urbibus atq; civita-
 tibus ab Hierosolyma longius dissitis habita-
 bant, & nihilominus quidam cogebantur Hie-
 rosolymam ascendere suaq; sacrificia ibidem
 Deo offerre Exod. 13, 27. incommodum ipsis
 erat sacrificanda magnis sumptibus & mole-
 stus secum adducere; ideo permissum ipsis erat
 lege divinâ talia domi vendere Deut. 14, 24.
 Et eo in loco, in quo offerenda erant, emere inde
 fora publica erant constituta; sed temporis pro-
 gressu Sacerdotes avaritia percussi, hunc mer-
 catum in ipsum templum introduxerant; quâ
 ex re questus ipsis enascebatur; nam vel ipsi
 per suos ministros hunc questum exercebant,
 vel ad locum sibi attributum non admittebant
 alios nisi certum tributum pro loco penderent.
 Hos ergo ementes & vendentes Christus ejecit.
 Et quamvis minus peccarent ementes, cum per
 avaritiam sacerdotum non licebat alibi emere
 necessaria ad oblationes, tamen & ipsi non fuê-
 re à peccato immunes: quippe qui factio suo
 templi prophanationem promovebant. In pri-
 ma repurgatione Joh. 2, 15. tantum vendentes
 ejecit, sed cum videret nullam sequi emenda-
 tionem, cum vendentibus etiam modò ejecit
 ementes; postmodum planè subvertit omnia.

Vt

Ut ostenderet se esse Dominum templi & di-
 vinâ potentiâ præditum. Unde habet Dio-
 nyfius Carthusianus in cap. 2. Johan. Quod
 Christus divina virtute eorum corda, quos al-
 loquebatur, potuerit terrere, & quòd humani-
 tas Christi fuerit instrumentum primarium,
 Simulq; ostendit, quod Chrysoftom. habet
 exposit. 2. in cap. 21. Matth. quemadmodum
 ex templo ritè disposito omne bonum, ita ex cor-
 rupto omne malum procedit; estq; locus ille in-
 star stomachi in corpore, unde cibi vel boni vel
 noxij in reliquum corpus digeruntur; & vel
 sanitatem ac vitam, vel morbos ac mortem af-
 ferunt. Ideò Christus ut prudens medicus sto-
 machum primò curare voluit. Etiam ministris
 exemplum præbere, quòd religionis corruptelis
 summo studio obviare debeant. Et quamquã
 hoc factum Christi ratione circumstantiarum
 sit heroicum & personale, de quo non judican-
 dum juxta regulam generalem; tamen respe-
 ctu moralis rectè eò est accommodandum, quòd
 ad officium ministerij Ecclesiastici pertineat.
 Unde, inquit Hilarius in Matth. cap. 22. præ-
 figuratio futurorum diælis presentibus conti-
 netur; Ecclesiæ vitia in ipso adventu Domini
 claritatis esse purganda. Interim prudenter
 agendum, & non vi corporali, sed zelo spiritua-

li, ut & Elias 1. Reg. 18. & Mathathias 1. Mac. 2, 24. fecerunt.

22. Et increpatio. v. 46. In quo facti ~~facti~~ hujus sui heroici rationem reddit per allegationem, dicens eis: Scriptum est. Et nos doceret, reformationes juxta verbi divini prescriptum esse instituendas.

23. Et per applicationē quoad usum: Domus mea domus precatōnis est. Id quod desumptum ex Esa. 56, 7. Atq; ita per domū suam intelligit templum Hierosolymitanum per Synechd. 1. Reg. 8, 3. simulq; totum cultum divinum 2. Paral. 27, 21. Et suam vocat domum ratione foundationis, cum utrumq; templum edificatum legamus in honorem Dei. 1. Reg. 8, 20. Esræ. 1, 3. secundo ratione prefiguratio- nis, quia omnia respiciebant ad Christum seu ad corpus ipsum Col. 2, 3. Tertio ratione predictio- nis, quia concionibus & miraculis Christi expressè erat destinatum Malach. 3, 7. Hag. 2, 9. domus precatōnis dicitur. Ut discamus, quisnam sit verus & precipuus usus templo- rum. Inde etiam publica oratoria nominantur, quando Tertull. iu Apolog. adversus gentes cap. 39. inquit: Coimus in cœtum & congrega- tionem, ut Deum quasi manufacta precatō- nibus ambiamus. Et quamvis domi quidem

ora-

orari possit, inquit Chrysoft. Hom. 79. ad populum Antioch. sic autem, ut in Ecclesia non potest, ubi tanta Patrum multitudo, ubi clamor unanimiter ad Deum emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audieris, ut cum fratribus tuis. Hic enim majus aliquid est, puta unanimitas & consonantia, charitatisq; vinculum, & sacerdotum orationes. Habuimus igitur in domo Jehovæ omnibus diebus Psalm. 27. 4. in atriis Jehovæ Psalm. 84. 3. quia una dies melior est quam alibi mille.

24. Quoad abusum: Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Quæ verba desumpta ex Jerem. 7. 12. Ubi notari dignis est, quod Christus Sacerdotes magna præpntia accuset. Vos, inquit, Prælati, licet in meam domum nihil juris habeatis; tamen fecistis illam speluncam latronum. Deus autem templum non mercatoris vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis, inquit Ambros. in Luc. c. 19. nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito ministerij usum sacerdotalis informat. Speluncam autem appellat 1. propter avaritiam potissimum, uti habet Theophyl. avaritia enim latronum morbus est. Et propter falsam doctrinam: unde Chrysoft. Hom. 15. 4. Hebr. Vos latrones estis, quia per ostium non

intrastis: ostium enim Christus est. Sed qua-
 rit Chrysoſt. Hom. 36. in 1. Corinth. nonne
 & nostra templum latronum efficiuntur spelun-
 ca? dum ait: Quondam psallebant in unum
 omnes, facimus & nos; sed tum una omnium
 mens, cor omnium fuit, hodie ne una quidem
 in mente concordiam unam reperies, sed bellis
 undiq; omnia fervent. Pacem & nunc Episco-
 pus velut domum paternam ingressus omnibus
 optat, sed pacis ejus nomen frequens quidem
 extat, res prorsus nulla. Tum etiam domus pro-
 fana magis; nam in domo quidem ordo ser-
 vari solet; hic vero magnus tumultus, magna
 eorumfusio, nihilq; a caupona nostra differunt,
 tanta turba, tantus risus, quantus in balneis,
 quantus in foro, clamantibus, tumultuantibus
 omnibus. Et postmodum. Ecclesia non nu-
 gandi, sed discendi locus est. Nunc autem a foro
 nihil differt; & si non sit temerarium dictu,
 fortasse nec a scena ipsa; adeo prostitutis scortis
 petulantius, quae huc congregantur mulieres, se-
 se comunt, & sine dubio non paucos hic sollicitat
 homines intemperatos. Vide autem, addit Theo-
 phyl. ne & tu forte templum Dei cogitatione
 facias speluncam latronum: Latronum sit spe-
 lunca si habuerimus cogitationes carnalibus
 rebus amicas, vendentes & ementes, & ita lu-
 cri

cri cupidas, ut & vitia numismata congregent.

25. Consequens est tum Christi quotidiana prædicatio. v. 47. In quo antecedens, quod continet in genere factum: Et docebat. Hoc enim erat ipsius officium: ut ostenderet, quis sit verus cultus, qui in templo Deo exhibendus; nempe in illo loco, qui doctrinæ erat destinatus, & ex quo vendentes expulerat. Ut discam9 æquè docere, est nostrum officium præstare: siquidem adium sacrarum usus est in illis orare Esa. 56, 7. 1. Reg. 8, 29. 2. Paral. 6, 21. Matth. 21, 13. Deinde docere Luc. 2, 37. Tertiò Sacramenta administrare Act. 27, 7.

26. In specie est tempus: Quotidiè. Docebat enim singulis diebus, ab hoc die solenniter templum ingressus usq; ad tempus Passionis: Et quidem à matutino tempore usq; vesperam: quia vesperi egrediebatur extra civitatem; manè verò se ad urbem convertebat, ut notant Evangelistæ. Matth. 21, 18. Marc. 11, 11. Luc. 21, 36. Quidam existimant de primis diebus duntaxat hebdomadis illius magnæ, hoc esse accipiendum, ut referatur ad antecedentes; sed quia indefinitè dicit Lucas: & quia Christus dicit in historia passionis Matth. 26, 55. quotidie docui; & quia dicitur quòd principes non fuerint ausi ex illa die ulteriq; ipsū interrogare,

gare *Mat. 42, 26.* verisimilius est etiam in templo feria 4. & 5. docuisse. Cum autem mons Oliveti, in quem est Bethania, postquam ibi cœnam sumpserant, noctu concederet proxime urbi immineret, facile fieri potuit ut aliquot etiam istorum dierum posteriorum horis in templo doceret, & postmodum sese Bethaniam in montem Oliveti conferret. Ut discamus istos Christum imitari, qui quotidie docent, non ita qui rarissime.

27. Et locus: in templo. Per quem locum, uti supra tactum, non ipsum sanctum sanctorum, in quem semel tantum Sacerdos summus ingressus est; neque locum sacrificiorum intelligimus; sed ubi informabatur populus.

28. Consequens continet consilium, cuius recensentur causæ principales quoad Ecclesiasticas personas: Principes autem Sacerdotum. Per quos non tantum intelliguntur ij, qui summo Pontificatu functi fuerant, & in memoriam pristinae dignitatis nomen retinuerant; sed etiam Principes 24. familiarum sacerdotalium, qui principes sacerdotum & principes Dei nominantur *1. Paral. 24, 4.* inter quos duo fuerunt reliquis superiores, unus eorum ex familia Ithamar super octo, alter ex familia Eleazar erat super 19. familias *1. Paral. 25, 5.*

29. Et

29. Et Scribæ: Qui habebant legem
 descriptam, & interpretabantur; quorum
 etiam officium erat regales & propheticos libros
 asservare, assiduè scrutari, eosdem populo enar-
 rare; & si quid dubij occurreret, ex lege respon-
 sa dare Matth. 2, 4. cap. 7, 29. cap. 13, 52. inde
 dicuntur νομοδιδάσκαλοι Luc. 5, 12.

30. Et quoad res: Querebant ipsum
 perdere. Non tantùm ut interficerent, sed etiã
 ut funditus perderent, ita ut memoria nominis
 & doctrina ipsius simul extingueretur: nam ita
 vox ἀπολέσθαι usurpatur Deut. 7, 24, 2. Reg. 11,
 1. secundũ illud Jer. 11, 19. ipsius nomen delea-
 tur de terra viventium. Ita semper consilia ma-
 lorum adversus pios audiuntur & leguntur mala.

31. Quoad politicas: Et Primores po-
 puli. Qui paulò post vocantur presbyteri.
 Luc. 20, 1. itemq; ἀρχοντες, Luc. 23, 13. & erant
 ex numero Sanhedrim ordinariorum iudicum
 ac consiliariorum: ex quo apparet, omnes
 magistratum ordines contra Christum con-
 spirasse, secundũ Psalm. 2, 2. Et quamvis alias
 inter eos optimè conveniret, tamen contra
 ipsum Christum conspirant: neq; enim semper
 sunt sanctorum filij, qui tenent loca sanctorum,
 sed qui exercent opera eorum, scribit Hieron.
 ep. 1.

32. Et totius populi approbatio: v. 48. In quo consilii adimplendi negatio, à causa efficiente impediente: Nec inveniebant quid facerent. *Sedulo quidem & serio quærebant omnes Christi perdendi & opprimendi occasiones, sed quemadmodum tentarant, quo ipsum in suam potestatem redigere possent, non invenerunt. Ubi eleganter redundat articulus more Atticorum. Ut discamus hostes Christi & verbi eius non posse sanguinaria consilia sua in effectum pro arbitrio deducere, nisi divina accedat promissio. Psal. 7, 15. Psal. 64, 7. Esa. 8, 10. Deus enim conservat suos & dissipat cogitationes callidorum Job. 5, 12.*

33. Et ratio: Totus enim populus pendebat ab ore illius illum audiens. *Hoc est maxima pars (per synecdoch. integri pro membro) populi favebat ipsi præ audiendi attentione, & discendi aviditate, erat quasi extra se raptus. Siquidem tanta erat dicendi majestas, autoritas, gravitas & suavitas, ut populus audiendo nec satiaretur, nec defatigaretur. Et, quod Lucas ait: cuius sermo tam in Evangelio quam in Lege, secundum Hieronymum. in cap. 6. Esaie, comtior ἐξερρέματο: reliqui Evangelista dicunt ἐξεπλήροσαντο, Matth. 7, 28. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens,*

non

non sicut Scribe. Quia vera doctrina est effi-
 cax in promovendis hominum cordibus. Ut
 discamus, licet non principes Sacerdotum fa-
 veant, tamen, ut conservet Deus Ecclesiam su-
 am, vel infantes cogi tandem laudem propaga-
 re Dei, vel etiam plebejos; Non enim ex sapi-
 entibus hujus mundi 1. Cor. 1, 26. sed ex omni
 populo, qui eum adorat in spiritu & veritate,
 colligit sibi Ecclesiam. Unde inquit Chrysoft.
 hom. 40. non in numerorum multitudine, sed
 in virtutis probitate consistit Ecclesia.

NOTÆ.

I.

FLevit.) Considera Christum flevisse
 nō tam ob ruinam, quā ob malitiam,
 quæ causa ruinae; ut discas deflere non
 temporalia damna, sed tua scelera.

II.

COangustabunt.) Considera ob pec-
 cata coangustant Judæos; ut discas
 te manere in eadem fortuna, nisi fugeris
 peccata.

III.

EJecit ementes.) Considera Deum
 everè objurgasse ementes; ut discas
 magno

magno Zelo uti quando divina Majesta-
tis gloria est vindicanda.

CASUS I.

An in templis concionandum?

Negatur: 1. Quia Christus dicit domus
mea domus orationis Luc. 10, 13. Esa.
56, 7. Act. 16, 3.

2. Dicuntur propterea *αγορα*
seu oratoria 1. Reg. 8, 31. uti & Jus cano-
nicum c. 32. de consecr. dist. 1.

3. Quia in V. T. sacrificia in illis ob-
lata, in quorum locum sunt sacrificia ho-
die labiorum.

4. Docere propriè non videtur pars
cultus divini, sed informatio ad cultum,
eundem; non Dei causa institutum pri-
mariò, sed hominum, ut postmodum ritè
& rectè colant Deum. Cultus potissimum
in precatatione & gratiarum actione consi-
stit Psalm. 50. 14. Esa. 1, 11. 1. 2. S. 10. C. de
Episc. & Cleric.

Affirmatur: 1. Quia Christus quo-
tidie docuit in templo Luc. 19, 47. Matt.
8, 4. Marc. 1, 44. Matth. 7, 29. 26, 55.

2. Sancti-

2. Sanctificatio nominis divini est cultus. At qui per doctrinam fit in templo sanctificatio. Est enim edificatū, ut à fidelibus populi undiq̄ convenirent, & eorum supplicationes Deo miserante exaudiantur, & nostræ salutis mysteria celebrentur, & Deo sacrificium laudis offeratur, ut habet Synodus Francofurt. lib. 4. c. 3.

3. Sunt conjuncta; utrumq̄ fieri debet, uti in V. T. semper apud sacrificia fuit admonitio de doctrina Franzius in schola sacrificiorum dis. 4. th. 6. Est q̄ locus devotæ orationis & religiose conversationis.

Ad contraria: Fall. sec. quid. i. unius inclusio non est alterius exclusio: Quo & laborat 2. argum.

Ad 3. Sunt sacrificia oblata, sed non solum, quum & admonitiones fuerint de doctrina.

4. Est omninò, per consequens, quia sanctificatur sabbatum, & Deus colitur per auditum verbi divini, ut in Judaico templo distincta loca, ita etiam synagoga

conjuncta esse debet cum Ecclesia, ut sine Schola nulla esse possit. Unde canones volunt arg. c. qui Eccles. dist. 36. c. sicut vir. caus. 7. q. 1. c. omnis ætas. c. 12. q. 1. ut doceatur juventus.

CASUS II.

Annōn licita monopolia?

Videtur: 1. Quia Deus, ut peregrini sacrificia offerre possent, jussit emere Hierosolymis Deut. 14, 25.

2. Jura ex utilitate Reipubl. admittunt, ut patet ex coctura cerevisiarum, ex Sartorum & aliorum opificum privilegiis, ne extranei intra milliare opificia habeant Goed. conf. 12. n. 11. Köppen. decis. 16. n. 2. publica enim utilitas commoditatibus propriis preferenda l. uni. §. pen. ubi Bart. C. de cad. toll. Schurff. cent. 2. Consil. 9. n. 9. Magistratus officium est omnia dirigere in utilitatem subditorum. l. si quis filium. C. de in off. testam.

Inde Magistratus sibi ipsi arrogare potest monopolia reliquis exclusis ob augmentum fisci, Köppen. decis. 59. n. 23.

Petrus

Petrus de Anchoran. conf. 13. per tot.
conf. 289. n. 3. Jason. in l. quo minus.
n. 155. ff. de Carpzov. Respons. lib. 1. tit.
5. Ref. 42.

*Contra: 1. Christus ejecit ex templo
ementes & vendentes Luc. 19, 45.*

*2. Fura improbant l. un. C. de mo-
nopolyis. Recessus imperij de anno
1500. 1577. uti in der Policeyordnung.
uti de monopolyis. Commercia debent
esse libera. l. nec emere. C. de jure delib.*

*3. Sunt pestis Reipubl. Bornit. lib.
4. part. polit. Boter. lib. 1. de illustr. sta-
tu. c. 14. Est tyrannis Heresb. de Repub.
Christ. c. 16. Damhoud. prax. crim. c.
c. 34. Menoch. lib. 2. de arb. jud. q. 669
Sichar. ad Rub. l. un. n. 2. C. de mono-
polyis.*

*Ad contraria: Fall. causa, conces-
sit, ut Hierosolymis emerent, sed non ab uno;
neq. simpliciter jussit & coegit, sed propter
ipsorum utilitatem. Vnde quia sacerdotes
ad se attraxerunt hoc jus, Christus ejecit.*

*Ad 2. Fall. cons. In casu necessitatis
omnino cedunt privata publicis, sed hic
est*

est questio an sit necessitas monopolia habere, aut si, ad tempus tantum. Libertas enim commerciorum promovenda. Coleus de process. execut. part. 1. c. 10. n. 68. Nec privilegia habent jus monopoli, sed est loci tantum distinctio, quia ruri debent agrum colere, in urbe opificia exercere. Ideoq; ut conservari possint tribus, privilegium datum ne turbentur. Quod Magistratus sibi arroget monopolia, facti est, non juris: lege prohibitum: jam vero erubescimus sine lege loqui. Nov. 18. c. 5. Jason. in l. praeses provin. 12. n. 3. C. de transact. Pist. lib. 2. q. 1. n. 100. Nec in practica habetur, ait Baldus, quod lege non cavetur. in c. nihil. 44. n. 25. X. de elect. & elect. potest. Imo sunt nobilibus interdicta commercia, multo magis principibus, l. nobilib. 3. C. de commerc. Marant in specul. part. 4. dist. 9. n. 56. Latherus de cens. lib. 3. c. 13. Est tyrannidem exercere privatorum utilitatem intervertere. Heresb. Al. 1. habenda est ratio proximi, arg. l. juri. §. jus. 35. ff. de l. & l.

Insitor & caupo recipit quoscunq; lu-
crantes,

Fundere sed lachrymas cogit uterq; suas.
Christ^o ut appropere Solymas illasq; tuetur
Lumina sunt lachrymis flumina, plena
piis.

Si cognovisses, addit, qua commoda pacis
Sint, & curares, Te tamen ista latent
Quippe dies venient, & te circumdabit
hostis

Et cinget muros obsidione tuos:
Æquabitq; solo: lapidem lapis obruet omnē
Quod non cognoscas tempus adesse
tuum

In simul ingressus medij penitralia templi
Et cauponantes expulit inde sacros.
Addens: Est domus ista precum: vos esse
cavernam

Fecistis, qualem curat habetq; latro.
Cottidiè post, in templo sacra verba do-
cebat,

Ast hunc primorū perdere quisq; cupit.
Non tamen audebant, populus quod ab ore
pependit

Ejus, & audivit totus & omnis eum.
Talis

Talia proponit KRETZSCHMARUS. Talia
pergat!

Caupo sacer Christi, quin imitator, erit.
uti optat

GURINZIUS.



I.

Wie gar warst du verblendet /
O du auserwehlte Stadt!

Die nun Titus umgewendet

Und in grund verstöret hat!

Solten Christus heisse zähren

Dir nicht wahrenen gebären?

Kundt denn dein verstocktes Herz

Nicht entkommen solchem Schmerz.

2.

Aber deine tunne sinnen

Haben solches nur verlacht /

Und dein underschämt beglumen

Dich der Erden gleich gemacht.

Wie uns solches Kretzschmar welfet /

Den des Glückes gunst hoch preiset.

Liebster Christus Thronen-wort

Uns zu lehren fahre fort!

hiefiges setzet hinzu

G. G. v. G.

in W.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





Farbkarte #13

B.I.G.



ITIARUM
 MELICARUM
quisitio XLI.
 PRÆSIDE
 NO GUEINZIO
 nasii Hallensis
 Rectore
espondente,
 IANO Kretschmann
 nicensi Misnico.
X. post Trinitatis.
 R. cl. Jc. III.
 LIS SAXONUM
idum Melchioris Oel-
schlegelij

